



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Replica Ioan. Eckii Adversvs Scripta secunda Buceri
apostatæ super actis Ratisponæ**

Eck, Johannes

Ingolstadii, 1543

VD16 E 416

Conciliabulum Buceri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30106

quæ spiritus sunt sequuntur. Manifesta sunt opera carnis à fructibus doctrinæ & vitæ discernatur. Quis hic non effuse rideat Epicureos porcos, carnalitate, luxu, crapula absorptos, omnibus bonis operibus vacuos? qui Curios simulant & Bachanalia & Lupercalia viuunt: plus turpissimi sacerdotes Cybeles, & Priapi cum regina Maacha, quàm Christi amatoris castitatis & virginitatis. At vitam eorum Epicureorum supra post Erasimum depinximus. Deo gloria, quod tot sunt adhuc integerrimi & honestissimi prælati, tot sacerdotes optimæ & inculpatae vitæ, tot monachi deuotissimi, tot vestales castissimæ. Nam hac liminosa hæresi repurgata sunt zizania, paleæ & vitia ex area domini: mundata sunt monasteria, clerus bene probatus prauis & carnalibus ad Lutherismum se conferentibus, vt ventri & inguini ac hortorum deo seruiant. Ideo desinat apostata illustri domino à Prato persuadere, plures ex catholicis adhæsuros Lutheranis vt fratribus. Absit, iam paleæ glumo à tritico separatae sunt. Si qui autem adhuc, exeant à nobis ad eos, dicamus de eis cum Ioanne, 1. Ioan. 8 quia non erant ex nobis, velut Melanchthoni Vuormaciæ dixi.

Fatetur Bueer denuo, in eorum agro enasci plurimum zizaniarum, nec paucos pisces putres eorum rete attrahit (ego dico solos putres) nec desunt in nostro grege foetidi hirci, sed plures esse adhuc synceros inter eos. At inspicite omnes Lutheristas. Euangelium nec in operibus, nec in pectore habent, sed in ore duntaxat, Maulchristen, cum nulla euangelica opera exhibeant.

Zizania
in Lutherismo.

Adhuc quærit conciliabulum, vt ecclesia malignantium conueniat, siue ciuili (vt laicos Concilio immisceat) siue ecclesiastico munere fungantur. Et hanc sanctam Synodum appellat, ex apostaticis s. viris, votifragis monachis, & periuris sacerdotibus collectam. Veniet ne Christus, veniet ne spiritus

Fol. 24
Concilia
bulum,

Sapient. x spiritus sanctus, & præsidebit in illa fece hominum, in illa colluie apostatarum, ubi desunt ecclesiæ proceres, ministri dei infide. Non attendunt, quid dicat Sapientia: In maletuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus enim disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in cathedra pestilentiae non sedit. Non enim surgunt peccatores in consilio iustorum. Et vt Iob ait: Deum ponã eloquium meum, qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat, per diem incurrẽt tenebras, quia exacerbauerunt deum in consilio suo, & consilia peccatorum fraudulenta.

Cum Lutherani & Zuingliani ex scriptura cæreum nasum faciunt, pro libito glossas corruptiuas adijcientes, vt misere multis annis apertissima verba Christi. Hoc est corpus meum: torserunt & lacerarunt. Vt tamen laicos suos faciat temerarios & præsumptuosos, persuadet Bucer euangelium nemini esse obscurum, nulli ambiguum, aut obiectum. Hinc anus Luthericæ superbiunt, & sibi persuadent eas nihil latere in Biblia, vt etiam cum viris disputent. An mentitur Petrus de epistola Pauli ad Rom. (qua plurimũ vtuntur Lutherani, licet corrupte) In quibus sunt aliqua intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauant (ita vos facitis) sicut cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem? Et Hierony. ad Algasiam: Omnis epistola Pauli ad Romanos nimis obscuritatibus inuoluta est. Cur angelus ait Danieli? Tu claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum. Vtinam omnes laici Lutherani intelligerent scripturas, quæ de periculo nouissimi temporis & hæreticis scripta sunt in vtroq; testamento, vt cognoscerẽt eorum prædicatores esse præcursores Antichristi. Sed non habent hanc gratiam à deo, quia clausi sunt, signatq; sermones

Euangeliũ non semper clarũ.

a. Pet. 3

Hierony.

Daniel. 12

Lutherani laici non intelligũt scripturas